

Enderudini, Fassei, Grabei, proprieq; dicti Illyrij, & Taulanti, & Pyraei. Retinet nomē in ora Nymphæū promōtorium: Lissum oppidum ciuium Romanorum, ab Epidauro c. M. passuum.

Macedonia.

CAP. XXIII.

A Lisso Macedonia prouincia, gētes Parthini, et à tergo eorum Dassareta. Mōtes Candauie à Dyrrhachio lxxix. M. pass. In ora vero ciuiū Ro. Epidamnū colonia, propter inauspicatū nomen à Romanis Dyrrhachiu appellata, flumen Aous, à quibusdā Aneas nominatū: Apollonia, quondā Corinthiorum colonia vij. M. pass. à mari recedēs. Cuius in finibus celebre Nymphæū accolunt barbari, Amātes et Bulliones. At in ora oppidū Oricū à Colchis conditū. Inde initū Epiri, montes Acroceraunia, quibus hunc Europæ determinauimus sinum. Oricum à Salentino Italiae promontorio distat lxxxv. M. pass. A tergo Carnorum & Iapidum, qua se offert magnus Ister.

Norici.

CAP. XXIIII.

R Hetis iungūtur Norici. Oppida eorū Virunū, Celeia, Teurnia, Aguntum, Viana, Aemonia, Claudia, Flauū, Soluense. Noricis iungūtur lacus Peiso, deserta Boiorum: iā tamē colonia diui Claudij Sabaria, & oppido Scarabantia Iulia habitātur.

Pannonia, Dalmatia.

CAP. XXV.

I N de glandifera Pannonie: qua mitescētia Alpū iuga, per mediū Illyricum à septentrione ad meridiē versa, molli in dextra ac leua deuexitate cōsidunt. Quæ pars ad mare Adriaticum spectat, appellatur Dalmatia, & Illyricum supra dictum. Ad septentriones Pannonia vergit, finitur inde Danubio. In ea colonia, Aemona, Siscia. Amnes clari, & nauigabiles in Danubium defluunt, Draus ē Noricis violentior, Saus ex alpihus Carnicis placidior cxx. M. pass. interuallo. Draus per Serretes, Serrapillos, Iasos, Sandrizetes: Saus per Colapianos, Breucosq; : Populorū hæc capita: præterea Ariuates, Azali, Amantes, Belgites, Catari, Corneates, Arauisci, Hercuniates, Lato uici, Oseriates, Varciani. Mons Claudius, cuius in fronte Scordisci, in tergo Taurisci. Insula in Sao Metubaris, amnicarū maxima. Præterea amnes memorandi, Calapis in Saum influens iuxta Sisciam, gemino alueo insulam ibi efficiens, quæ Segestica appellatur. Alter amnis Bacuntius in Saum Sirmio oppido influit: vbi ciuitas Sirmiensem, & Amantinorum. Inde. xlv. M. pass. Taurunum, vbi Danubio miscetur Saus. Supra influunt Valdanus, Vrpanus, & ipsi non ignobiles.

Mœsia.

CAP. XXVI.

P Annonia iungitur prouincia, quæ Mœsia appellatur, ad Pontum vsq; cum Danubio decurrēs. Incipit à confluente supradicto. In ea Dardani, Celegeri, Triballi, Trimachi, Mæsi, Thraces, Pontoq; cōtermini Scythæ. Flumina clara Dardanus, Margis, Pingius, Timachus ex Rhodope, Oescus ex Hæmo, Vtus, Escamus, Ieterus. Illyrici latitudo qua maxima est cccxxv. M. pass. colligit. Longitudo à flumine Ar-

sia ad flumē Drinium d. ccc. M. à Drinio ad promontorium Acroceraunium clxxij. M. Agrippa prodidit vniuersum hunc sinum Italiae & Illyrici ambitu, xij. M. In eo duo maria quo distinximus sine, inferum siue Ionium in prima parte, interius Adriaticū, quod superum vocant. Insule in Ausonio mari, præter iam dictas, memoratu dignæ, nullæ, in Ionio pauca: Calabria littore ante Brundisium, quarum obiectu portus efficitur: contra Apulum littus Diomedea, conspicua monumento Diomedis: & altera eodem nomine, à quibusdā Teuthria appellata. Illyrici ora mille amplius insulis frequentatur, natura vadosi maris, æstuarijsq; tenui alueo intercurrentibus. Claræ ante ostia Timauī calidorum fontium cum æstu maris crescentium: iuxta Istrorum agrum, Cissa, Pullaria, & Absyrtes Graijs dictæ, à fratre Medea ibi interfecto nomine Absyrto. Iuxta eas Electridas vocauere, in quibus proueniret succinum, quod illi electrum appellant, vanitatis Græcæ certissimum documētum: adeo vt quas earum designent, haud vnquam constiterit. Contra Iader est Lissa: quæq; appellata contra Liburnos Creteæ aliquot: nec pauciores Liburnicæ, Celadusæ. Contra Surium, bubus & capris laudata Brattia: Issa ciuium Romanorū reliqua, & cum oppido Pharia. Ab his Corcyra, Melæna cognominata cum Gnidiorum oppido distat xxij. milia passuum: inter quam & Illyricū Melita (vnde catulos Melitæos appellari Callimachus autor est) xij. M. passuum, ab ea ij. Elaphites, in Ionio autem mari ab Orico M. M. passuum Sasonis piratica Statione nota.

C. PLINII SECUNDI NATURALIS HISTORIAE LIBER IIII.

VNDE PRIMVM OMNIS GRAECIAE
fabulositas, & literarum claritas effulsit.



TERTIVS Europa sinus Acrocerauniis incipit mōtibus, finitur Helleponto: amplectitur præter minores sinus xix. xxxv. M. pass. In eo Epirus, A carnania, Aetolia, Phocis, Locris, Achaia, Messenia, Laconia, Argolis, Megaris, Attica, Beotia. Iterumq; ab alio mari eadem Phocis, & Locris, Doris, Phthiotis, Thessalia, Magnesia, Macedonia, Thracia. Omnis Græcie fabulositas sicut & literarum claritas, ex hoc primū sinu effulsit. Quapropter in eo paululum cōmorabimur. Epiros in vniuersum appellata, Acrocerauniis incipit mōtibus. In ea primi Chaones, à quibus Chaonia: dein Thesproti, Antigonenses: Locus Aornos, & pestifera auibus exhalatio: Cestrini, Perrhæbi: quorū mons Pindus, Cassiopæi, Dryopes, Selle, Hellopes, Molossi, apud quos Dodonæi Iouis templum, oraculo illustre: Tomarus mons, centū fontibus circa radices, Theopompo celebratus.

Epirus.

*vadoso ma
ri

40

50